

24. Duabus istis partibus simul sumtis, non uni seorsim accepta, Sacramenti Eucharistici nomen & appellatio competit.

25. Fiunt autem partes istae diversissimae in usu huius Sacramenti, unum, non significatione nudâ, non representatione rei absentis: non ex-  
 ceti sive mutuo relationis respectu: Sed unione Sacramentali, quae verè in ipso usu Elementorum intercedit pani cum corpore: vino cum sanguine: ut manducato pane, verè comedatur corpus Christi: hausto vino, verè bibatur sanguis Christi.

26. Unionis huius Sacramentalis vis & causa non pendet à dignitate vel Ministrantis vel accipientis: non ab occulta aliqua vi verborum consecrationis: non etiam à fide accipientis: sed unice à voluntate & institutione Christi Servatoris, qui Sacramenti huius est autor conditorque.

27. Cuius institutionis verba, prout ea in Evangelistarum tabulis consignata sunt, non tropicè, non figuratè: sed sensu simplicissimo, & ut loquuntur, κατὰ τὸ πρῶτον juxta literam accipienda esse, firmissimis & prorsus ἀλύτοις nixi rationibus atque argumentis, indubitatò credimus & confitemur. Quae paucis delibare haud fuerit inconveniens.

28. I. A propria, & nativa verborum scripturae, imprimis Testamenti Christi significatione, recedere haud fas est, nisi summa hoc exigat necessitas.

K k 5

Atqui